

præparato animo, vt neque eum secundæ res efferant al-
tius, cum earum inconstantiam norit; neque aduersæ,
mente deiectum præcipitem impellant; æque speret infe-
stis, metuat secundis alteram sortem: at ex infima plebe,
institor, cerdo, idem sutor veteramentarius, pauida anus
colu sibi in gynecæo victum parans, quid aliud commodi
ex famis prænotione refert, quàm ad cætera mala, qui-
bus iactat squalorem, sordes, egestatem, tristem futuri
mali accessionem, cum in summa etiam vilitate annonæ,
dies, noctes quæ nendo, aut glomerando, nihil præter famem
quærat, qua fessa labore prandium condiat, aut cœnam?
Ergo tanquam gladius anceps, eandem, & præsentis ma-
li sensus torquet, cuius depellendi nulla certa ratio est, &
imminentis metus, cum nulla interea sit virtus, in tam
imbecillo animo, quæ lenire metu percussum animum, &
tanquam hostem infestissimum, deicere semel loco poti-
tum dolorem queat. Nam eius est in viuendo perpetua
mors, cui genethliacus, ex certo cæli positu, tanquam
consulenti Apollinem Delphicum, aut naufragio, aut i-
ctu fulminis, aut casu excelso loco, aut veneno, aut ferro,
solicito de vitæ euentu perituum respondet. Siue enim
amnis traiiciendus, siue ascendendus mons, siue grauis
tempesta, terra, mari, domi, foris, opaco, aprico loco,
obeunda, miserrimus omnium hominum, sibi adesse vitæ
diem supremum putat: non exteros solum, sed domi suos,
uxorem, liberos, parentes, amicitia sibi, ac propinquitate
coniunctos homines, tanquam per eos inimica sors, fa-
cto inexorabili aperiat viam suspectos sibi habendos exi-
stimans. Ac cum est semper animorum crudelis carnifex